

nostri I. C. realem in S. C. eum denegasse, supra nominatus ERASM. ALBERVS *libr. cit. plagula O secundi Alphabeti fol. 4.* testatur, his ipsis Moerskenii verbis: *si Corpus Christi comedas, etiam barbam ipsius deuorare te oportet.* Quo cum errore Zwingliano cohaerebat alter, quo negauit, indignos accipere verum Corpus, verumque Sanguinem I. C; quod etiam, extra Alberum, perhibent *Grauamina Presbyterii Lubecensis*, Magnifico Senatui exhibita, & a STARCKIO *l. c. p. no.* in epitomen redacta. Et hunc errorem excipit tertius, teste Albero, in eo consistens, quod somniauerit Moerskenius, non esse in Sacramento Eucharistiae remissionem peccatorum, eo quod fidei in Christum hac ratione vis quasi sua raperetur. Cui vero peroptime respondit ALBERVS, tantum abesse, vt fidei, dogmate opposito sua subtrahatur efficacia, vt potius per Sacramentum confortetur, augeatur, atque conseruetur. Tandem refert idem Alberus, semet ipsum ex ore Moerskenii, pro publica conacione verba facientis, audiuisse, eum, qui cum improbo accedat Sacramentum S. C. reum simul fieri huiusmodi hominis impietatis. Quod quidem largiamur, quando de apertis, quique scandalum aliis praebent, peccatoribus intelligatur; sed assertum hoc Moerskenius dictum voluisse videtur vel de hypocritis, & talibus, quales ipse forsitan habuerit sceleratos. Ex quo perspicere licet, eum iam eadem, quibus Separatistae addicti sunt, principia fouisse. Possemus etiam errorem ipsius de sera & ad finem usque vitae dilata poenitentia, quam posse veram esse & genuinam in dubium vocauerit, commemorare; quum vero in *Grauaminibus*

*Min-*